Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26227
Copyright: Admont, Benediktinerstift

peritis sapientia .i. astucia decepti sumus dei sapientia liberamur. Et sicut il
la sapientia uocabatur cum esset stulticia. sic ista que uocatur stul
ticia sapientia est. adeo magna et incomprehensibilis quam uite perdite re
paratrix nobis extitit medicina; Ecce contraria. Similia uero
sunt quod qui per feminam deceptus. per feminam natus liberauit homo homines
mortalis mortales. Potuit utique lapsibus humanis aliter subue
nire diuina sapientia. sed nullus fuit conuenientior modus sanan
de nostre miserie. Sic enim et nostram quam se plurimum excitauit
dilectionem. et suam nobis commendauit caritatem. Aduertite enim
fratres et interrogate corda uestra. si uobis terrena hereditate priuatis et
in tenebroso carcere positis. rex uel quilibet prepotens regio decore
post habito uobis condescenderet ut quasi unus ex uobis uestre captiuita
tis erumpnas tolleraret. quantumuis oportunitate inuenta uos
ab ipsa captiuitate liberasset. quomodo posset melius et suam
uobis dilectionem intimare. et uestram quam se incitare. Veritas
enim ait. Maiorem dilectionem nemo quam ut animam suam
ponat quis pro amicis suis. Sic ergo dominus noster medicus ac libe
rator descendit ad seruos suos egrotos suos. captiuos suos
humilis et sublimis. humilis compatiendo. sublimis de seruitu
te diaboli sapienter liberando. Factus est per humilitatem nostre hu
manitatis quasi lac paruulorum qui in sublimitate sue diuinitatis pa
nis est angelorum. per carnem enim suximus maiestatem. Voluit
enim redemptor in regione dissimilitudinis. nos alere lacte
sue incarnationis quo crescere nos faceret ad suauissimum et in
effabilem gustum sue diuinitatis. Quod tamen quamdiu per fidem
ambulamus et non per speciem. nulli quantumlibet corde mundo
plene conceditur. sed perfecta satietas iustorum retributione
seruatur. cum domini gloria manifestabitur. quia nulli uiatorum
possibile est possidere in peregrinatione. quod ei promittitur in per
uentione. Quecumque ergo in Christo uocati sumus. nostre liberationis
admiranda initia presenti festiuitate nobis ad memoriam